

licentiatus in jure canonico, vel alias idoneus. Et modo capitularis has qualitates habeat, cæteris paribus præferendus est extraneo, etiamsi hic dignior sit (1).

Licet autem capitularis cæteris paribus præferendus sit, non est tamen de necessitate, ut vicarius eligatur de gremio capituli (2), sicut aliqui existimant (3), quia Concilium Tridentinum nihil de capitulari, neque de cive, neque de diocesano eligendo vel indirecte præscribit; et externum eligendum etiam non improbat, dum de vicario generali confirmando facit mentionem, qui alienus a diocesi esse potest (4).

VII. An parochus in vicarium capitularem eligi potest? Nulla lex generalis parochum excludit; indirecte tamen, ob legem nempe residentiae, excluditur parochus ille, cujus parochia est extra civitatem Episcopalem. Generaliter etiam sunt officia non bene compatibilia (5). Attamen juxta decreta S. Congregationis Episc. (6) parochus in eadem civitate Episcopali, vicarius capitularis esse potest, modo, ut limitatur per S. Congregationem Concilii (7) concurrat paucitas numeri parochianorum, et vicinitas ecclesiae parochialis cum aedibus Episcopalibus (8).

VIII. Nominatus, electus aut præsentatus ad Episcopatum a capitulo aut a principe civili, vicarius capitularis ejusdem sedis Episcopalis esse non potest, ut § sequente dicitur.

Nota, si in vicarium capitularem eligatur aliquis, qui qualitates requisitas non habet, electionem illam, non esse ipso facto irritam, nec actus ab ejusmodi vicario præstitos, invalidos; sed legitimi esse superioris, causa cognita, electionem infirmare (9), nisi tamen jus aliter statuatur, ut in casu sequente.

(1) S. C. C. 14 Ap. 1764, § 2, *Tyb. Zamboni tom. 4, Vicarius capit. § 1.*

(2) S. R. C. 9 Sept. 1594, *Metphien.*

(3) Bouix p. V, sect. 1, cap. XII; Maupied jur. can. univ. compendium p. 3, lib. 4, s. 2, c. 3, q. 3, n. 1.

(4) Cardinalis de Luca Annot. disc. 31, n. 2; Cardinalis d'Andrea in voto cit.; Scarfantonus lib. IV, tit. VII, animadv. 34; Barbosa de canon. cap. 42, n. 37; Hermes cap. VI, § 1, n. II; De Angelis, Prælect. jur. can. lib. 1, tit. XXVIII, n. 19.

(5) S. C. C. 17 Jul. 1655, dub. 2, *Sulmonen*, apud Zamboni *Vicarius capitul. § 1, n. 18.*

(6) 19 Mart. et 19 Jul. 1619, *Ortonen*, apud Lucium Ferr. *Vicarius capitul. art. 1, n. 41.*

(7) 11 Jul. 1626, *Asten*, dub. 2, apud Zamboni *Vicarius capit. § 1, n. 9.*

(8) Lucius Ferraris loco cit. Barbosa de canon. cap. 42, n. 38; Hermes cap. VI, § 3; Bouix p. V, sect. 1, cap. XIII.

(9) Hermes loco cit. § 1, in fine; Revue théol. 1862, fol. 241.

§ 3. *Præsentatus, nominatus aut electus in Episcopum alicujus diocesis, non potest esse vicarius capitularis ejusdem Sedis Episcopalis.*

I. Præsentatus vel nominatus in Episcopum ab imperatore, rege aliave laica potestate, aut electus a capitulo, numquam in vicarium capitularem eligi potest juxta litteras Apostolicas SS. D. Pii IX, *Romanus Pontifex* quinto kalendas Septembris 1873, in quibus habentur ea quæ sequuntur: « Hac autem occasione declaramus » etiam, et decernimus ea, quæ a Gregorio X decessore Nostro in » Consilio Lugdunensi 2º de electis a capitulis, constituta sunt (1) » comprehendere etiam nominatos et præsentatos a supremis » publicarum rerum moderatoribus, sive imperatores sint, sive » reges, sive duces vel præsides, et quomodocumque nuncupen- » tur, qui ex S. Sedis concessione, seu privilegio, jure gaudent » nominandi, et præsentandi ad Sedes Episcopales in suis respec- » tibus ditionibus vacantes, abolentes ideirco, cassantes et penitus » annullantes usum, seu potius abusum sub quovis titulo, vel » prætenso et asserto privilegio, quæsito colore, et quacumque » causa, licet speciali et expressa mentione digna, in quibusdam » regnis seu regionibus præsertim longinquis invectum, quo capi- » tulum ecclesiae cathedralis vacantis obsequens invitationi seu » mandato, licet verbis deprecatoriis concepto, supremæ civilis » potestatis concedere et transferre præsumit, ac de facto concedit » et transfert in nominatum et præsentatum ad eandem ecclesiam » illius curam, regimen et administrationem, eamque nominatus » et præsentatus sub nomine provisoris, Vicarii generalis, aliave » nomine gerendam suscipit ante exhibitionem litterarum Aposto- » licarum, uti superius dictum est, de more faciendam, remoto » proinde Vicario capitulari, qui ex juris dispositione toto tempore » vacationis ecclesiae eam administrare ac regere debet. Confir- » mantes autem alia etiam decessorum Nostrorum et præsertim » sa : me : Pii VII Decreta et dispositiones, declaramus et decer- » nimus, ut si interea Vicarius capitularis decesserit, aut sponte » sua muneri renuntiaverit, aut ex alia causa officium ipsum legi- » time vacaverit, tunc capitulum, vel capitulo deficiente, qui » potestatem habet deputandi vacantis ecclesiae administratorem,

(1) Cap. *Avaritiæ* de Electione in 6.

» seu vicarium, novum quidem Vicarium, vel administratorem  
 » eligat, nunquam vero electum in Episcopum a capitulis, aut a  
 » laica potestate nominatum seu præsentatum ad dictam ecclesiam  
 » vacantem, cujus electionem ac deputationem, si eam capitulum,  
 » vel alius, uti supra, peragere præsumpserit, cassamus, annulla-  
 » mus, et omnino irritam declaramus.

» Confidimus autem dignitates, et canonicos cathedralium eccle-  
 » siarum vacantium, ac illos qui, deficientibus capitulis, Vicarios  
 » deputant, aut vacantes ecclesias legitime administrant, plene  
 » exequenturos quæ hisce nostris litteris declarata et decreta sunt;  
 » ubi vero, quod Deus avertat, ea exequi detrectaverint, ac con-  
 » cedere et transferre in nominatum et præsentatum ad eandem  
 » ecclesiam ejus curam, regimen et administrationem sub quovis  
 » titulo, nomine, quæsito colore ausi fuerint, præter nullitatem  
 » jam decretam prædictæ concessionis et translationis, præfatos  
 » canonicos ac dignitates excommunicationis majoris, nec non pri-  
 » vationis fructuum ecclesiasticorum beneficiorum quorumcumque,  
 » aliorumque reddituum ecclesiasticorum per eos, respective obten-  
 » torum, similiter eo ipso incurrendis pœnis innodamus, et innodatos  
 » fore decernimus, et declaramus; ipsarumque pœnarum absolu-  
 » tionem seu relaxationem Nobis et Romano Pontifici pro tempore  
 » existenti dumtaxat specialiter reservamus.

» In easdem pœnas pariter reservatas ipso facto incurrunt  
 » nominati, et præsentati ad vacantes ecclesias, qui earum curam,  
 » regimen et administrationem suscipere audent ex concessione, et  
 » translatione a dignitatibus et canonicis aliisque, de quibus supra,  
 » in eos peractam, nec non ii, qui præmissis paruerint, vel auxilium,  
 » consilium aut favorem præstiterint, cujusque status, conditionis,  
 » præminentiae et dignitatis fuerint.

» Præterea nominatos, et præsentatos jure, quod eis per nomi-  
 » nationem et præsentationem forte quæsitum fuerit, decernimus  
 » eo ipso privatos.

» Si vero aliqui ex prædictis Episcopali caractere sint insigniti  
 » in pœnam suspensionis ab exercitio Pontificalium, et interdicti  
 » ab ingressu ecclesiae ipso facto, absque ulla declaratione incidunt,  
 » S. Sedi pariter reservatam.

» Insuper quæcumque a sic nominatis et præsentatis in admi-  
 » nistratione vacantium ecclesiarum intrusis fiant, mandentur,  
 » decernantur et ordinentur cum omnibus et singulis inde quovis  
 » modo sequutis, et quomodocumque sequuturis omnino nulla, inva-

» lida, inania, irrita, et a non habentibus potestatem damnabiliter  
 » attentata, et de facto præsumpta, nulliusque valoris, momenti et  
 » efficaciae esse, et perpetuo fore tenore præsentium declaramus  
 » et decernimus, illaque damnamus et reprobamus » (1).

II. Sicut juxta præfatas litteras Apostolicas Pii IX præsentati  
 et nominati a laica potestate, atque electi a capitulo, eligi nequeunt  
 in vicarium capitularem; sic etiam nominati a Sede Apostolica ad  
 Episcopatum, eligi nequeunt ejusdem Episcopatus Vicarii capitu-  
 lares. Hoc constat ex Decretali *Injunctæ* in Extrav. comm. lib. 1,  
 tit. 3, de electione, ubi Bonifacius VIII sic disponit: « Sancimus  
 » ut Episcopi et alii prælati superiores... quocumque nomine cen-  
 » seantur, qui apud dictam Sedem (Apostolicam) promoventur,  
 » aut confirmationis, consecrationis... munus recipiunt, ad com-  
 » missas eis ecclesias... absque dictæ Sedis literis hujusmodi,  
 » eorum promotionem, confirmationem, consecrationem continen-  
 » tibus, accedere, vel honorum ecclesiasticorum administrationem  
 » accipere non præsumant: nullique eos absque dictarum litera-  
 » rum ostensione recipiant aut eis pareant, vel intendant. Quod si  
 » forsitan contra præsumptum fuerit, quod per episcopos, prælatos...  
 » prædictos medio tempore actum fuerit, irritum habeatur. » Si  
 igitur nullis eos recipere, eis parere vel intendere liceat; item si  
 quod per Episcopos nominatos, medio tempore inter nominationem  
 eorum et inter acceptionem ac exhibitionem litterarum Apostoli-  
 carum actum fuerit, irritum habeatur; sequitur ipsos hoc tempore  
 intermedio constitui non posse vicarios capitulares, quia omnia  
 quæ agunt, irrita forent, et viribus non subsisterent. Quinimo  
 juxta Constitutionem SS. D. Pii IX *Apostolicæ Sedis* 1869 « sus-  
 » pensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum percep-  
 » tione capitula ecclesiarum aliique omnes, qui ad illarum regimen  
 » et administrationem recipiunt Episcopos apud S. Sedem quovis  
 » modo provisos, antequam ipsi exhibuerint litteras Apostolicas de  
 » sua promotione. »

III. Si eum, qui jam vicarius capitularis alicujus diocesis con-  
 stitutus est, Episcopum ejusdem diocesis nominet Sedes Apostolica,  
 præsentet aut nominet rex aliave potestas laicalis, aut eligat

(1) Vid. Muzzarelli, Observations sur l'administration capitulaire des Evêques  
 nommés; Hermes dissertatio de capitulo sede vacante c. VI, § 4; Analecta juris  
 Pontif. 1869, sér. 10, fol. 488; Soglia edit. 2, Paris, Instit. juris priv. § 23, ita  
 ut improbabilis, falsa et omnino relinquenda sit opinio S. M. Veechiotti, contra-  
 rium proponentis in alia edit. ejusdem operis C. Soglia, § 23.

capitulum; his casibus ille nominatus, præsentatus aut electus in Episcopum, illico munus vicarii capitularis demittere potest. Cum enim Concilium Tridentinum sess. 24, cap. 16 de reform. jusserit, Episcopum ad vacantem ecclesiam promotum de iis quæ ad eam spectant, ab œconomo, vicario et aliis quibuscumque, sede vacante constitutis, rationem exigere; perspicuum est, vicarii capitularis et futuri Episcopi personas esse distinctas, cum sibi nemo rationem reddat. Præterea in cap. *Avaritiæ* in VI, lib. 1, tit. VI de electione c. V, constitutum est « ut nullus de cetero administrationem » dignitatis, ad quam electus est, priusquam celebrata de ipso » electio confirmetur: sub œconomatus, vel procurationis nomine: » aut alio de novo quæsito colore: in spiritualibus vel tempora- » libus, per se vel per alium, pro parte vel in totum, gerere vel » recipere, aut illis se immiscere præsumat. Omnes illos, qui » secus fecerint, jure, si quod eis per electionem quæsitum fuerit, » decernentes eo ipso privatos. » Similia statuta sunt in Decretali *Injunctæ* et in Constitutione Pii IX *Romanus Pontifex* supra allatis. Insuper Pius VII in suis litteris ad vicarium capitularem ecclesiæ Florentinæ 4 Decembris 1810, et aliis ad vicarium capitularem ecclesiæ Parisiensis 19 Decembris ejusdem anni, pronuntiavit, Episcopos ad eas sedes nominatos administrationi earundem Sedium recipiendæ, gerendæque sub vicarii capitularis, aut alio quovis nomine inhabiles prorsus esse, atque adeo administrationem hujusmodi non modo improbandam, verum etiam irritam et nullam fore, quoniam adversus sanctissimas Ecclesiæ leges, ejusque vigentem disciplinam attentaretur, et manifeste tenderet ad principia legitimæ missionis obscuranda et destruenda. Cum igitur Episcopi nominati et electi ante acceptionem et exhibitionem litterarum Apostolicarum interdicantur, ne sub ullo unquam titulo administrationi ecclesiarum, ad quas electi vel nominati sunt, se ingerant; quinimo cum inhabiles declarentur, ne sub vicarii capitularis aut alio quovis nomine ecclesiam administrent: consequens est, ipsos statim ac in Episcopos earundem ecclesiarum, quas ut vicarii capitulares administrant, eliguntur vel nominantur, ab administratione cessare debere, munusque vicarii capitularis demittere (1). His tamen non obstantibus censet De Angelis (2) vicarium capitularem, qui eligitur vel nominatur ejusdem ecclesiæ

(1) Soglia, Instit. juris priv. § 23, edit. 2 Paris; Hermes loco cit.

(2) Prælectiones juris can. lib. 1, tit. V, n. 13 et tit. XXVIII, n. 23.

Episcopus, valere dioecesim administrare; et dicit, hanc sententiam in jure magis fundatam esse, quia omnia jura quæ allegantur, loquuntur non de titulo antea quæsito, sed de titulo noviter quæsito, et de arcenda fraude contra legem, quæ fraus in hoc casu verificari non potest.

§ 4. *An omnes idonei et habiles pro electione vicarii capitularis admittendi sint, nullusque prævie excludendus?*

Fieri posset, ut capitulares inter se convenirent, et statuerent, excludere talem vel talem, cæteroquin idoneum. Quod si eveniret, peti posset, an valeret electio vicarii capitularis? Respondet Pignatelli (1) « negative, quia quilibet idoneus de jure potest eligi, » atque adeo non potest a concursu repellere (2). Eademque ratione » non potest Episcopus repellere concurrentem ad parochialem. » Rejectio enim idonei vim habet voluntariæ coarctationis ad » certum numerum eligendorum, quæ non permittitur electoribus » in præjudicium aliorum; solumque coarctationes permittuntur » post factum scrutinium, dummodo omnes in eo fuerint admissi, » et tanquam minus idonei rejecti; at a scrutineo non debent » repellere; et si quis repellatur, ex hoc ipso electio dicitur restricta » et coarctata. » Quapropter cum quilibet de capitulo, qui est doctor, censeatur idoneus ad munus vicarii capitularis, si fuerit rejectus a scrutineo, et ipse etiam extrajudicialiter reclamaverit vel appellaverit, electio remanet nulla. Quod si ille, qui reclamavit et appellavit, postea in electione facta votum suum dederit, licet cum protestatione non renunciandi juri suo, cum hæc sit contraria facto, non invalidat electionem (3).

§ 5. *An unus vel plures vicarii capitulares constituendi?*

I. Ante Concilium Tridentinum de jure communi licebat capitulis unum vel plures vicarios constituere (4).

(1) T. VI, cons. 92.

(2) Rota decis. 65, n. 6, parte 1, rec.

(3) Ita Scarfantonus lib. IV, tit. VII, animadv. 30-32; Vid. etiam Bouix de capitulo p. V, s. 1, cap. XVII, § V.

(4) Fagnanus in 2, p. I, Decretal. De major. et obed. c. *His quæ*, n. 68.